CONSTITV-
TIONES REGNI
VTRIVSQVE
SICILIÆ,

Gloſsis ordinariis, commentariiſque excellentiſs. I. V. D. Domini Andreæ de Iſernia, ac D. Bartholomæi de Capua, atque nonnullorum cùm veterum, tum recentiorum I.C. lucubrationibus illuſtratæ.

Quibus acceſſerunt CAPITVLA *eiuſdem Regni,* RITVS *Magnæ Curiæ Vicariæ, &* PRAGMATICAE, *tàm antiquæ, quàm noua, ac etiam nouiſſimè per S. C. M. edita: plurimorum Iuriſperitorum interpretationibus nunc primum exornata.*

Omnia à D. Gabriele Sarayna I.C. Veronenſi ſummo ſtudio elaborata, aucta, atque emendata.

Addito etiam memorabilium rerum Indice copioſiſſimo ab eodem D. Gabriele nunc primum in lucem emiſſo.

LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iuntæ.
M. D. LX.
Cum priuilegio Regio.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

PHILIPPVS Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Angliæ, Franciæ, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, Hiberniæ, &c.

DON Ioannes Marinquius de Lara, Conſiliarius ſtatus, Præfectúſque prætorio Regiæ & Catholicæ maieſtatis, ac Claniger ordinis & militiæ Calatranæ, & in præſenti regno Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus generalis, &c. Magnifico viro Ioanni Andreæ de Bottis huius magnificæ & fideliſſimæ ciuitatis Neapolis regio fideli dilecto gratiam Regiam & bonam voluntatem. Nuper pro veſtri parte fuit nobis ſupplicatum, quatenus Regiæ maieſtatis nomine vobis concederemus per aliquod temporis ſpatium, videlicet, per decennium, Opera intitulata, Conſtitutiones Regni Neap. Deciſiones Antonij Capicij, Thomæ Grammatici & Matthæi de Afflicto, & Conſilia omnia eius Thomæ Grammatici imprimi non poſſe, nec extra regnum impreſſa in regnum immitti, nec aliquo modo exemplari, & quouis modo imprimi facere, & in regno prædicto vendi, & quouis modo contractari, niſi tantummodo per vos vel veſtros hæredes, & ſucceſſores, & alios veſtri vel veſtrorum hæredum prædictorum parte, dicto decennio perdurante, veſtra impenſa imprimi, ac vendi, & contractari poſſe. Ea propter veſtris ſupplicationibus in hac parte inclinati tenore præſentium de certa noſtra ſcientia, deliberatè, & conſultò, ac ex gratia ſpeciali præfatæ Maieſtatis nomine cum deliberatione & aſſiſtentia Regij collateralis conſilij ſtatuimus & decernimus, quòd per annos decem à die datarum præſentium numerandos, nemini liceat in hoc regno Opera iam dicta imprimere, aut exemplare, & imprimi facere, nec alibi impreſſa in regno vendere, aut aliquo pacto contractare abſque ſpeciali permiſſione veſtri prædicti Ioannis Andreæ, vel veſtrorum prædictorum hæredum & ſucceſſorum, dictorum annorum decem tempore perdurante, Reſeruatis tamen & exceptuatis illis Operibus ſuper præmiſſis intitulatis, quæ impreſſa à retroactis temporibus reperta fuerint, vel contractata per alios quoſcunque, Volumus enim illa vendi ac contractari poſſe per quemlibet eorundem Operum poſſeſſorem infra terminum menſium decem à die datarum præſentium in anteà numerandorum: Poſt cuius temporis lapſum, decennium prædictum vt ſuprà, vobis conceſſum currere intelligatur, Volentes & decernentes expreſſè, quòd ſi quis contra præfatam noſtram ordinationem facere attentaret, ipſo facto libri Operum prædictorum in hoc regno, aut per exemplum in quouis alio loco impreſſi, & in regnum ipſum immiſſi deuoluantur, & ſint veſtri prædicti Ioannis Andreæ vel dictorum veſtrorum hæredum & ſucceſſorum, qui multos libros imprimi curetis, taliter quòd regnum prædictum libris ipſis multum affluat: Et vltra prædictam deuolutionem incidat in pœnam ducatorum centum diuidendam pro tertia parte Regio fiſco, pro tertia parte accuſatori, & pro alia tertia parte vobis. Mandantes propterea per has eaſdem omnibus & ſingulis officialibus & ſubditis Regijs maioribus & minoribus quocunque nomine nuncupatis, titulo, officio, authoritate, poteſtate & iuriſdictione fungentibus, præſentibus & futuris, ad quos, quem ſpectabit, & præſentes peruenerint, ſeu fuerint quomodolibet

PROOEMIVM

VTRIVSQVE IVRIS MONARCHAE ET LEGVM EVANGELISTAE D. ANDRAEAE DE YSERNIA, SVPER CONSTITVTIONIBVS REGNI.

CVM conſtitutiones Regni faciat quilibet Rex monarcha in Regno ſuo etiam cōtra legem poſitiuam, vt hîc plenè dicit glo. Solet quæri an vniuerſitates terrarū,& populi poſsint cōſtitutiones facere, quæ dicuntur ſtatuta,aliquando leges municipales cùm ius ſit etiam non ſcriptum, ſicut eſt conſuetudo, quæ ſcripta & nō ſcripta eſt,& ſi de rebus eorum vel ſuorū ciuium poſſint ſtatuere,& ſic circa Iuſtitiam,& iudicia. Et qualia,& quomodo,& quādo,& qualiter. Et quæ vniuerſitates iuriſdictionem habent, vt hoc poſsint. Et an contra legem ſcriptam poſsint facere ſtatuta. Quod enim poſsint facere ſtatuta, dicitur in l.omnes populi. ff.de iuſtitia & iur. & inſti.de iure natu.§.ex non ſcripto.

ADDITIO. *Adde l.receptitia in fi.& ibi gl.C.de conſti.pecu.& in l.fi.& ibi Bar.ff.de colleg.illicit.& an omnes vniuerſitates habeant iuriſdictionem? vide in l.ſi duas in §.eſt autem.verſ.decet ff.de excuſat.tuto.Bart.in l.j.ff.de damno infecto.& per Innoc.in c.cum acceſſiſſent.de conſtitutio.*

Et quidem in rebus propriis poſſunt vniuerſitates ſtatuere, ſicut volunt, quia in re ſua quilibet etiam priuatus eſt moderator & arbiter, vt ſibi placet.C.mand.l.in re mandata,& dicit Innoc.extra de conſtitu.c.cum acceſſiſſent.alleg. ff.quod cuiuſque vni.no.l.j.§.quibus. Dummodo ſint iuſta. Quare iniqua ſtatuta non poſſent etiam in rebus propriis & illa vocat Inn.monopolia, quæ iniuſta ſunt,& vide concord.quas allegat.C.de monopo.l.j.

ADDITIO. *Adde Bart.in l.ſodales.ff.de colleg.illicit.Bart.in l.ſub prætextu.ff.de extraor.crimi.Innoc.in c.ſignificaſti.de appellatio.*

Nam ſtatutū & lex municipalis, id eſt, cōſuetudo paria ſunt in hoc, vt ſequitur. Conſuetudo autem irrationabilis, eſt corruptela vt in auth. vt nulli iudi.§.j.

ADDITIO. *Adde quòd tales non ſunt ſeruandæ ſecundum Card.Zabarel.in c.ex parte.in viij.notab.de conſuetud.*

Lex carens ratione non eſt lex, ſed legis corruptio ſecundum Augu.in lib.de libero arbitrio, eo quòd de ſubſtantia legis eſt, quòd ſit iuſta, nec lex eſt, quæ iuſta nō eſt. iiij.diſt.erit.

ADDITIO. *Adde, an lex iniuſta obliget in foro conſcientiæ: vide in c.erit autem.iiij.diſtinctio.*

Legem ratio commendat.j.diſtinct.conſuetudo. Item quia in rebus ciuiū debet ſtatuere iuſtè, & in rebus alienis vti ciuium ſuorum & incolarum, quæ non ſunt ſuæ, ſcilicet, vniuerſitatis.ff.quod cuiuſque vni.no.l.ſicut.nec facient ſtatuta regaliter: quia contra domini voluntatem &c.C.de pact.l.fin.in fine.niſi eſſet eorum communis vti-

litas,

litas,& tunc ſuper his, ſine quibus non poſſunt viuere, vt pote, victualibus, vtenſilibus & negociationibus ſtatuent precium,& præcipient vendi, vt arg.ff.de offi.præfe.vrb.l.j.§.cura carnis.& C.de epiſ.au.l.j. Nam caſtra & villæ habent rempub.eorum, vt C.de diuer.reſcri.l.fin.in fi. de offi.eius, qui vicem alterius gerit.l.j. Pretium nō erit vilius quàm iuſtum ſit. Sic eſt intelligendum. ff.ad l. Iul.de anno.l.fin.in fine. Sic ad municip.l.non debere.& de admi.rer.ad ciui.perti.l.decuriones. Domos autem & prædia non cogeret iudex vendere, ſic poteſt intelligi contrarium.C.de iudic.l.nemo. Sed tunc ex cauſa poſſet.ff.de relig.l.ſi quis ſepulchrum. Item ſi victualia non haberet quis niſi quantum ſibi ſufficit, non cogeretur vendere etiam iuſto pretio, ſic poteſt intelligi.l.nemo præallegata,& ff.ad l.Iul. de anno.l.fina.ij.reſpon.& Matthæi xij. dicitur. Ne fortè nō ſufficiat nobis & vobis. Item potius ad vendentes,&c. Ordinata enim charitas à ſe prius eſt. C.de ſerui.& aqua.l.præſes,& in auth.de trien.& ſe.§.j. ibi. ne ſua erogata ad extraneas veniant largitates.

ADDITIO. *Adde gloſſ.fin.in c.ex parte il ij.de cleric.non reſiden.gl.in c.licet.de ſupplend.neglegen.prælato.gl.in c.petitio veſtra.de iureiur.Bart.in l.pupilliū.ff.de excuſ.tuto.*

Item de aliis quæ non erant vtiles retinere, imò magis non vendere, ſibi non proficiebat, & aliis de ciuitate erat diſpendium, ſicut ſunt lapides orti in prædiis, ideo ſtatuit in illis.l.municipalis pretium.ff.com.prædi.l.venditor.§.ſi conſtat. Etiam in meo debeo ex charitate velle quod mihi non nocet,& alij prodeſt.ff.de euict.l.j.in creditorem.§.j. Præter hæc vtenſilia, inter quæ ſunt illa, de quibus fiunt habitationes & lapides, ſine quibus non viuitur commodè,& ſic non viuitur arg.ff.de verb.ſignifi.l.Nepos Proculo,& omnes de vniuerſitate de re vnius ciuis non conſentientis, ſtatuendo illi non præiudicant, dicit gloſſ.quàm ſit l.on.conſuet.l.ij. Nam nec princeps poſſet re mea ſine cauſa & culpa, me priuare, de quo dicitur infra.& patet ex his, quæ notantur in glo.C.ſi contra ius vel vti.pub.l.fi.& l.quod ſi maior.ff.ad munici. Quod intelligit Ioan.in electionibus & cōtractibus rerum ſuarum, vt in illa gl.dicitur.

ADDITIO. *Adde Bal.in l.qui ſe patris.C.unde liber.Paul.de Caſt.in l.Gallus.in §.& quod ſi tantum.ff.de liber.& poſth. Et quomodo ſint intelligēda verba, omnia ſunt principis, intelligitur, id eſt, ſi ſcalia, vt in l.bene à Zenone.C.de quadrien.præſcriptio. Et per Archid.in §.quāuis.xxiij.q.viij. Hoſt.in ſumma tit.de præſcriptio.in §.quæ exiguntur verſ.& licet.Spe.in ti.de ſcrip.in §.quoniā.verſ.xxiij.vide late de principis poteſtate per Lucā de Pēna,in l.prædia.C.de loca.prædi.ciui.& fiſca.lib.xj.& maxime art.xviij.prima parte.*

Dictum eſt autem res ſingulorum non eſſe ſuas, ſcilicet, vniuerſitatis. Non cōſentientes ergo in quorū præiudicium ſit ſtatutū de rebus & iuribus eorum, nō ligantur, ſicut nec ignorantes, vt ff.de decre.ab or.faci.l.fi. Nec

CONSTITVTIONES REGNI SICILIAE

PER EXCELLENTISSIMVM V. I. D. DO. ANDRAEAM DE YSERNIA, ET ALIOS DOCTORES COMMENTATAE.

De legibus & conſuetudinibus alijs antiquitatis, conſtitutio.

a POST *mundi machinam.* Præmittit procemium, ex quo in vnoquoque negotio initium ſumitur: vt in auth. en. in medio li. non fieri ſacras for. §. vt autem omnes col. viij. ☞ Et dic machinam, id eſt, artificioſam compoſitionem, vel conſtructionem: Nam omne artificioſè factū dicitur machina, vt patet. ff. de fun. inſtru. l. quæſitum. §. item oſtiarium, & ff. commod. l. ſi vt certo. §. ſed interdum. ver. nam & ſi ſeruum tibi lectorem &c.

b *Et primordialem materiam,* quæ rudis, ſcilicet nondum formis impreſſa erat Chaos, id eſt, cōfuſa congeries omniū rerum inuicem cōmixtarū non habentium diſtretam, & propriam formā, ſicut poſſet hodie in rebus elementaris exponi: vt, ſi argentū tuum & meū conflaretur, & redigeretur in maſſam: vel ſi de frumento duorū inſeparabiliter cōmixto cumularetur aceruus: vel quomodocunque aliter res plures eiuſdem, vel diuerſi generis confuſæ ſiue commixtæ inſeparabiliter redigerentur in vnum corpus informe: vt ff. de rei vend. l. iij. §. vlt. & ibidem Pomponius ſcribit ſi frumentum &c. in princ. & de acquir. rer. dom. l. adeo. § cum quis ex aliena. & inſtit. de rerum diui. §. ſi duorum. ☞ Et hanc primordialem materiam philoſophi vocauerunt Hylem, quam dicūt eſſe inter aliquid & nihil: ſicut enim nihil audiendo, audimus ſilentium: ſic nihil intelligendo intelligimus Hylem ſecundum eos. ☞ Nos etiam poſſumus adinuenire ſimilia. Nam lex ponit inter nolle & velle medium, ſcilicet non nolle, videlicet, patientiam. Et inter fateri & negare medium, ſcilicet non negare, ſcilicet, tacere: vt ff. de tributo. l. j. §. ſcientiam, & de regul. iuris. qui tacet.

c *Naturæ melioris,* poteſt intelligi actiuè de natura naturante, id eſt, Deo in quo omnia certa ſunt, ſcilicet tam præterita, quàm præſentia, & futura: vt ff. de iudi. l. ſed & ſi reſtituantur § ſi pater, & ſic benè ſequitur, qui facienda præuiderat. Quem intellectum videtur habuiſſe Ouidius, vnde iſta verba ſumpta fuerunt, ait enim Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

ADDITIO. *Adde an dicta puctarum ſint allegenda in deciſionibus cauſarum? Vide gloſſ. in l. canuum. & l. ſequen. ff. de rer. di. l. ſi ſtatuo mutuſe. ff. de ſta. homi. & in cap. turba. xxxvj. diſtinct. & per Pet. de Ancha. in cap. quoties & quando al. ij. de accuſ.* Super.

1 IMPERATOR

Fredericus [2]. Romanorum Cæſar ſemper Auguſtus: Italicus; Siculus; Hieroſolymitanus; Arelatenſis; felix, Victor ac Triumphator.

D. FREDERICI Imperatoris incipit

LIBER PRIMVS.

De legibus & conſuetudinibus alijs antiquitatis, conſtitutio.

TITVLVS I.

Ex ordinatione diuina ad officium principis ſpectat defendere ſanctam matrem eccleſiam contra opprimentes eam, atq; parem & iuſtitiā exhibere ſubditis. h. d. Manh.

POSt [a] mundi machinā prouidentia diuina formatam [b], & primordialem materiā [c] naturæ melioris officio, in rerum effigies diſtribuiam: qui facienda præuiderat, facta conſiderans, & conſiderata cōmendans, à globo circuli Lunaris inferius hominem [d] dignisſimam creaturam [e] ad imaginem propriam, effigiémque formatā, quem

A diuina namq; prouidentia mūdi totius elementa proceſſerunt, & eorum diſpoſitio in orbem terrarū producta eſt: vt C. de veter. iur. enu. l. j. in prin. ☞ Poſſet etiā legi paſsiuè de natura naturata, C. eod. & ſic accipitur. inſtitu. de verb. ob. §. conditiones, & ff. de reb. cred. reſpiciendū, & tunc benè dicit, melioris: quoniam prima rudis & informis materia erat inter aliquid & nihil, vt ſuprà not. Lex etiā rudem materiā appellat infectā, vt ff. de aur. & arg. leg. l. & ſi nō ſunt clau. §. infecti. ☞ Poſtmodū vero in rerum formas deducta cōuerſa eſt in meliorem naturam, Recipiendo eſſe ab impreſsione formarum. Forma enim dat eſſe rei, ita quòd mutata forma interimitur rei ſubſtantia, cuius etiā corpus manet: vt ff. ad exhib. l. Iulianus. §. ſed ſi quis. & de verb. ſig. mulieris. §. j. & de ſtatu homi. l. non ſunt liberi.

ADDITIO. *Adde quòd Imperator appellatur luminare inferius, quia Papa dicitur lumen ſuperius: vt eſt gloſſ. in verbo inter ſolem & lunam, in c. ſolitæ. de maio. & obed. & gl. ſi. in c. duo ſunt. xcvj. diſt.* Superantius.

d *Digniſsimam,* patet. ff. de rit. & extraord. cog. l. cognitionum. §. extimatio. & ff. de ædil. edic. l. iuſtiſsimè. in princip.

e *Ad imaginem,* vt C. de pœnis. l. ſi quis in metallū. vnde Apoſtolus eſt imago Dei. Et Vergil. illi cœleſtis origo eſt. ☞ Et accipe ad imaginem & effigiem Dei, non ſecundum lineamenta corporis, ſed quantum ad animam, quæ eſt imago id eſt, imitago: quia Deum imitatur, ſecūdum vim intellectiuam à Deo ipſi animæ infuſam: & eſt effigies Dei, quia ſcilicet deus effinxit, id eſt, expreſſè & verè finxit eam ſecundū diuinam naturam, & eſſentiam, vt potè immor

1 ADDITIO. *Imperator. Adde quare ita vocatur, vide gl. ff. & ibi Bartol. in proe. ff. Nicolaus Superantius patritius Venetus vtriuſque iuris doctor, & verus ſequutus doctor.*

2 ADDITIO. *Semper Auguſtus. Adde gl. in proe. ff. Vaterm & in proem. Inſtitutionum, & Abb. in proem. Greg. in vj. col. ver. Imperator, & gl. in l. diui Conſtantini. C. de natu. li. quam ſequitur Seg. de Homodeis conſil. cxxix. incip. in principio libri noſtri.* Superantius.

ANDRAEAS

PEREGRINA LECTVRA VTRIVSQVE IVRIS MONARCHÆ ET LEGVM euangeliſtæ domini Andrææ de Yſernia ſuper Conſtitutionibus & Gloſsis Regni Siciliæ incipit.

POST *mundi machinam &c.* Vero Rege Regum &c. In gloſ. vbi legitur. Vnum tamen non omitto, quòd Domini, cui pro temporalibus &c. hic dicitur, quòd iudex ſecularis, & eius brachium inuocatum ab eccleſiaſtico iudice debet præſtare auxilium, per iura allegata hîc.

ADDITIO. *Adde l. ſi quis in hoc genus C. de epiſcop. & cler. & in auth. ſi quis litig. C. de epiſc. audien.* Superantius.

DE YSERNIA.

Tunc quæritur, & fuit quæſitum, ſi ſecularis requiſitus ab eccleſiaſtico ſciat iniuſtum eſſe id ad quod requiritur exequendum. Vel coram eo opponatur quòd illud ſiue ſit ſententia, ſiue proceſſus alius nullus ſit, an debeat parere? Item ſi hoc opponatur coram ſeculari brachio requiſito per eccleſiaſticum, an cognoſcet, & interim nō parebit, nec exequetur. Nam quod nullum eſt, etiam ſi ſit iudicatum, non debet executioni tradi. ff. de ferijs. l. ſi feriatis. Idem ſi dicit ſe oppreſſum per epiſcopum per falſa inſtrumenta & teſtes. ff. de iudi. l. ſi prætor. §. j. Hîc ſecularis inuocatus eſt loco executoris. C. de epiſc. audien. l. epiſcopale in gloſſ. Executor autem audit nullitates, not. C. quorum appel. nō reci. l. ab executione. Econtra quòd non, quia ſtatur, & ſtari debet ei, quod fecit iudex eccleſiaſticus ordinarius, & præſumitur pro eo. extra de re iud. in præſentia. Item licet executor hic audiet, quantumcunque merus, vt extra de officio deleg.

CAPITVLA REGNI SICILIAE

CVM GLOSSIS DO. NEAPOLITAni Sebaſtiani Neapolitani, Do. Lucæ de Penna, & Do. Nicolai de Neapoli, nouiter correcta, ac diligenti caſtigatione emendata.

Conſtitutiones, & Statuta Illuſtriſſimi Domini Regis Caroli Hieruſalem, & Siciliæ Regis, pro exequendo ſubſcripto ſtatuto.

QVVM nihil proſint Conſtitutiones, & ſtatuta edita, niſi debita executio ſubſequatur, Volumus, Et fidelitati veſtræ firmiter, & diſtrictè præcipimus, quatenus conſtitutiones noſtras editas ſuper victualibus, & mercibus aliis quibuſcunque enumerandis, & extrahendis cum vaſcellis quibuſlibet de ſingulis portubus noſtri Regni, Et de nominibus extrahentium ea, ac de iure debito & ſoluto pro eis officij noſtri tempore, tenaciter obſeruetis. Et per Portulanos, & ſubofficiales noſtros mandetis, & faciatis inuiolabiliter obſeruari, ſub pœna in eadem conſtitutione contenta, & pœna alia in vos, & Portulanos, & ſubofficiales veſtros, ſi ſecus feceritis, iuxta noſtrū beneplacitū, infligēda.

Cuius conſtitutionis tenor per omnia talis eſt.

STATVTVM EDITVM SVPER PORTVBVS.

VT illorum fraudibus iā commiſſis, vel in poſterum committendis, qui conceſſā licentia, temerariis auſibus abuſi ſunt, vel abuti contigerit in poſterum congruis remediis obuietur, Et fiſci noſtri cōmodis, quę quamplurium machinationibus læſa fortè dicimus, prouiſione cōgrua ſuccurratur. Volumus in extractione victualium, ſalis, & omnium, quæ pro parte noſtrę Curię ad credentiam procurātur de portubus Regni noſtri, tām per magiſtros Portulanos, & ſalinarū magiſtros, quā per extrahētes res ipſas de portubus ipſis, ſubſcriptā formā inuiolabiliter obſeruari. Vt omnes magiſtri Portulani & Portulani quotieſcunq; cōceſſerint alicui licentiā extrahendi de portubus commiſſionis eorum, teneātur exprimere in literis, ſeu apodiſſis ipſius licentiæ, ipſorum victualium quantitatem particulariter & diſtinctè, diem & locum extractionis, eorum nomina & cognomina mercatorum, illa de portubus ipſis extrahentiū: necnon nomen & cognomen vaſcelli, in quo onerata ſunt, & ipſius vaſcelli patroni, & quantum magiſtri Portulani ſeu Portulani receperint, pro iure exituræ, victualium prædictorum.

Et quòd mercatores ipſi ad locum prohibitum nō accedant, fideiuſſores idoneos coram prædictis magiſtris Portulanis pręſtabunt, ſeu coram Portulanis habētibus poteſtatem à nobis, ſeu à magiſtris Portulanis dandi licentiam extrahendi victualia de portubus, commiſſionis eorum. Quorum fideiuſſorum nomina, prędictorum magiſtrorum ſeu Portulanorum literæ continebunt. Pœna tranſgreſſoribus imminente, quòd magiſtri Portulani, qui contra prędicta commiſerint, & ſub ſuo lucro quouiſ tranſilientes quantitatem & qualitatem rerum ipſarum in literis ſuæ cōmiſſionis non expreſſerint, nec prædictā formā ſeruauerint, tanquā de latrocinio, & periurio manifeſtè cōuictos, pro noſtro arbitrio ſe nouerint puniendos. Portulanos etiam contra prędicta temerè venientes, ſimili pœna volumus ſubiacere. Et, vt magiſtri Portulani prędicti, in cuſtodia portuum cōmiſſionis eorum teneantur diligentes ſubofficiales ſtatuere. Præſentis nēæ prouiſionis tenaciter ſeruatores, volumus, vt ex defectu ſeu negligentia Portulanorum, per eoſdē magiſtros Portulanos ad alicuius portus cuſtodiā deputatorū, qui præſcriptam formam contempſerint obſeruare, prędicti magiſtri Portulani ad valorem nauis, & oneris noſtræ Curię teneantur, Et vltra noſtro arbitrio puniantur. Et quia comperimus quàmplures impunita hactenus audacia deliquiſſe, dum ſe ſic ſtatuebant & componebant quòd aſſumpti, imò prę̄ſumpti ordinis, vel habit⁹ priuilegio corporalibus non poterāt ſubiici pœnis, quæcūq; latrocinia, & periuria cōmittebant, prouidimus illorum fraudibus occurrendū, vt nullus deinceps ad Portulanatus offiū aſſumatur, de quo non poſsit haberi vindicta ſanguinis. Et ſi qui ſunt in ipſo officio, ipſos volumus amoueri. Volumus inſuper, quòd ſi qui deinceps in Portulanatus officio conſtituti, ſe in eo ſtatu poſuerint, pro quo de eis nō poſſit pœna corporalis aſſumi, ipſos ſtatim volumus à ſtatuēte ab ipſo officio amoueri. Et ſi magiſtri Portulani talem prærogatiuam habentes ſtatuerint, vel paſſi fuerint in officio ipſo morari, poſtquam ita ſe compoſuerint, vt de eorum exceſſibus corporalis vindicta non poſsit aſſumi, & ſi ſtatuti deliquerint, pro eorum exceſſibus, ipſi magiſtri Portulani, qui tales creauerint, vel tenuerint in officio Portulanatus punientur pœna, qua ſic creati, vel retenti, per eos puniri debebant: Statuto ſuper præmiſſis apud Brunduſiū per nos habito in ſuo robore duraturo. Quinimò exiſtente ſtatuto & recipiente augmēto, præſcriptā etiam formam in extractione ſalis, & aliarū rerum, quæ ad credentiam pro parte Curię procurātur, prouidimus obſeruādam. Et ne mercatores victualia, ſal, ſeu quęcūq; alia de portubus Regni noſtri volētes extrahere, de quibus ius exituræ Curiæ noſtræ debetur, figmēto concepto quodāmodo ius noſtræ Curiæ debitū opprimere valeāt ſeu quadā colluſione minuere: Volumus, vt mercatores ipſi in literis, ſeu apodiſſis, quas de ipſorum victualium, & aliorū extractione à magiſtris Portulanis, ſeu Portulanis receperint, procurent, quòd contineatur particulariter & diſtinctè qualitas, & quantitas victualium, ſalis, & aliarum rerum, quæ per magiſtros Portulanos, ſeu Portulanos, & ſalinarum magiſtros eis extrahi ſunt cōceſſa: nec non quantitas pecuniæ proindè ſolutę. Et qui contra fecerit, punietur ad inſtar illius, qui non obtēta licentia, victualia, ſeu alia prohibita de portubus noſtris extrahere præſumpſerit. Et ſi contingat mercatores ipſos plus de portubus Regni noſtri extrahere, quàm literæ magiſtrorum Portulanorum, ſeu Portulanorum licētiæ cōtinebunt

RITVS
MAGNÆ CVRIÆ
VICARIAE REGNI NEAPOLIS,
hactenus inordinatè poſiti, demùm ad ordinem redacti per V. I. D. Do. Cæſarem de Perrinis,

Nunc verò diligentiſsimè correcti ac emendati, atque diuerſorum Iuriſconſultorum Commentarijs illuſtrati.

IOANNA II. Dei gratia, Vngariæ, Hieruſalem, & Siciliæ, Dalmatiæ & Croaciæ, Romæ, Seruiæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque prouinciæ, & Forcalquerij Regina, ac Pedimontis Comitiſſa: Vniuerſis & ſingulis præſentis edicti ſeriem inſpecturis. Circa reformationem, & augmentũ regni noſtri Siciliæ, ac generalis Iuſtitiæ regni eiuſdem &c. Itaque tam officialium noſtrorum proceſsibus, quàm fidelium ſtatibus prouiſionis noſtræ remedio ſubuenimus, maximè in noſtris, magnæque Vicariæ Curiis, quæ ſub regimine noſtræ protectionis, præcipuè in hac noſtra ciuitate Neapoli, & toto regno noſtro ſunt iuſtitiæ depctati, Itarum ſacrarũ nouiſsimarum noſtrarũ conſtitutionũ edicto irrefragabili, ac firmiter valituro, Sancimus, decernimus, ſtatuimus, & mandamus, motu proprio, de certa noſtra ſcientia, cum prouiſa, matura, & digeſta noſtri conſilij deliberatione conſulta, Quòd omnes infraſcripti Ritus, Obſeruantiæ, in noſtris magnæ & Vicariæ Curiis, & qualibet earum de cætero inuiolabiliter obſeruentur. Omnes verò alios Ritus, & obſeruantias dictarum Curiarum hactenus obſeruatos & obſeruatas per præſentes de dicta certa noſtra ſcientia, & proprio motu, & cum dicti noſtri conſilij deliberatione matura irritamus, caſſamus ac viribus, & efficacia vacuamus, nulliúſque eſſe decernimus roboris vel momenti.

De ordine & numero officialium Magnæ Curiæ. Rubrica.

IN primis, quia vbi ordo deeſt, firmũ rectũmque omnũ rerum firmamentum nihil ſuper ædificari poteſt, neque enim vniuerſitas aliqua vlla poteſt ratione ſuſtentari, niſi huiuſmodi magnus cauſa differentiæ ordo ſeruaretur, quia nõ quæque creatura in vna eadem qualitate gubernari, vel viuere poteſt, vt cæleſtium militiarum exempla nos inſtruunt, quia ſunt Angeli, & ſunt Archangeli, licet non æquales ſint, ſed in poteſtate & ordine differunt alter ab altero. Sicque vt in prædictis noſtris Magnæ & Vicariæ Curiis, & qualibet ipſarum certus debitúſque numerus officialium dictæ Curiæ reducatur ad debitum numerum infraſcriptũ, videlicet, quòd iudices debent eſſe ad minus tres, treſque alij magiſtri actorũ, ſex ſubactarij, duo Fiſcales, vnus Aerarius, vnus aduocatus fiſci, & procurator fiſci. vnúſque aduocatus pauperũ, & vnus ipſorum procurator, vnus Comeſtabulus, vnus Carcerarius, vnus Tubitta, & vnus contumaciarum accuſator. & omnes debeant ſeruire perſonaliter, & nõ per ſubſtitutum, & quòd omnia dicta officia ſint ad beneplacitum reginale. Cùm verò hodie in dictis Curiis plures vltra dictum numerum exiſtant, volumus quòd omnes prædicti exiſtentes præſentialiter officiales in illorum exercitiis remaneãt. Ita tamen quòd quilibet ipſorum vnũ tantum officium perſonaliter exerceat. Declarantes, quòd decedentibus ſeu cædentibus ex eis, nullus alius poſsit in eorum locum ſobrogari, vſquequo perueniatur ad ſupradictum numerum deſsignatum. Verùm volumus quòd prædictis nunc exiſtentibus omnibus officialibus ſoluantur gagia rata ad rationẽ gagiorum ſoluendorum officialibus iuxta ſupradictum numerum tantummodo, & non vltra.

De officialibus Magnæ Curiæ in genere, & his quæ eis incumbunt. Rubrica.

ITem quòd omnes officiales Curiæ prædictæ teneantur in ſecreto ſecreta ipſius Curiæ tenere, & nemini pandere. Et quòd quando aliquis bannitur, & condemnatur in ipſa Curia, aut locumtenens vellet aliquem capi de perſona facere, nemini debeant notificare & notificari facere per ſe, ſeu per interpoſitam perſonam.

Item quòd ſi aliquis officialis dictæ Curiæ ſciuerit aliquẽ officialem aliqua enormia & minus debitè committere tangentia honorem, & licitum commodum dictæ Curiæ, teneatur ipſe reuelare Locumtenenti, & in caſu quo non reuelaret præter & vltra pœnas inferius annotatas, incidat in pœnam, ac ſi ipſemet talia commiſiſſet & procuraſſet.

Item quòd omnes officiales pro poſſe teneantur facere omnia, quæ tendunt ad honorem, ſtatum, & licitum commodum ipſius Curiæ & officialium eius.

Item quòd cauſa appellationis inchoetur per aperturam proceſſus.

Item quòd nullus officialis debeat recedere de dicta ciuitate Neapoli, & extra ipſam ciuitatẽ ſe perſonaliter cõferre, nec infra regnũ nec extra regnũ, ſine expreſſa li-

PRAGMATICAE REGNI NEAPOLIS, NOVAE, ET ANTIQVAE, CVM PRAGMATICIS INVICTISS. CAROLI QVINTI IMPERATORIS, DE NOVO ADDITIS.

De procedendi modo in cauſis Ciuilibus. Rubrica.

DISPENDIA litium remouentes ſancimus, in cauſis ciuilibus vel mixtis coram quibuſcunq; iudicibus, & delegatis procedi ſine figura iudicij, facti veritate inſpecta: Dum tamen pro libello præcedat talis qualis petitio, ex qua reus deliberare poſſit, an velit cedere, vel contẽdere, Declarantes per præſentem diſpoſitionem, nec per capitulum, Decernentes circa probationes neceſſarias nõ intelligi derogatum iuris, vel ſacrarum Regni Conſtitutionum, vel Capitulorum diſpoſitioni.

De forma citandi reum, & aliarum quarumcunque citationum. Rub.

QVilibet [a] agere volens, aduerſarium (iudicis cõmiſſione præcedente) citare faciat perſonaliter, vel ad habitationis domum per citatorias literas, continentes ipſius citationis cauſam. De qua citatione per relationem nũtij conſtet, cum ſubſcriptione duorum teſtium, qui præſentes dictæ citationi fuerint, ſi fiat in loco, vbi copia illorum haberi poſſit. Alibi autem ſufficiat coram duobus non aliter ſe ſubſcribentibus: dum tamen nuntius in relatione mentionem faciat de eorum nominibus, ad pœnam Tarenorum decem à nuntio exigendam: & citatio aliter facta non valeat, niſi reus comparuerit, quo caſu habeatur pro ſolenniter citato. Non tamen præſens citationis forma requiratur in caſibus, in quibus de iuris diſpoſitione citatio per edictum, vel proclama admittitur.

De forma procedendi in cauſis prædictis poſt citationem. Rub.

REllatione [b] citationis vt ſuprà facta, ſi reus conuentus in termino negligens in comparẽdo fuerit: & actor eius contumaciam in dicto termino accuſauerit: triduo poſt dictam incuſationem elapſo, contumax habeatur, procedatúrque ad primi decreti interpoſitionem, vel ad dationem termini ad probandum, ad electionem

De forma citandi reum, & aliarum quarumcunque citat. Rub.

a QVilibet agere volens, &c. In ver. *Iudicis commiſſione præcedente*, &c. Vide de hoc plenam regulam in regulario meo, in regula 400. & ibi etiã pono, q̃ ſufficit generalis commiſſio de citãdo, ſed debet eſſe ſpecialis, & particularis de citando talem, & q̃ hæc eſt communis opinio, & allego plures contra, ſed ibi etiam poſui quatuor not. limitationes, in quibus non requiritur cõmiſſio aliqua. vide ibi ſemper.

